

## DE ERRORIBVS IONIS AESCHYLEAE.

De Ionis erroribus multi multa disputarunt, alii aliud recte perspicientes, sed, quod mirum est, de falsis facilius persuadentes quam de veris. Quin qui novissime de ea re integrum volumen primum Geographiae mythicae incredibili diligentia comportatisque omnis aevi scriptorum testimoniis conscripsit, C. H. Guil. Völckerus, non modo aliena multa atque haud facile probabilia, sed nonnulla etiam aperte errata verbisque poetae repugnantia in medium attulit. Nominavit ille p. 8. seq. ceteros qui se in eodem argumento exercuerunt, omissis tamen Ioanne Georgio Walthero, qui haec attigit in dissertatione de Catabathmo, quae est in eius Animadversionibus historicis et criticis, editis Weissenfelsae a. 1748. et Hermanno Reinganum, cuius disputatio inserta est Iahnii Annalibus a. 1828. vol. II. Eodem autem tempore fere, quo Völckerus, disseruit de illa materia R. H. Klausenius in Musei Rhenani vol. III.

Quemadmodum uniuscuiusque rei recte agenda certa quaedam ratio est, sic etiam in his poetarum fabulosis locorum descriptionibus regulae quaedam observandae sunt, sine quibus non potest recte procedere veri investigatio. Ac primo per se patet, omnem explicandi conatum inanem esse, qui non ab iusta interpretatione verborum proficiscatur. Atqui hoc in genere fere omnium, qui has et similes res expedire studuerunt, tantam deprehendimus vel levitatem vel imperitiam, ut non sit mirum, si alii, qui verba scriptorum recte expendere sciant, commenta nullo fundamento nixa probare nequeant. Deinde in locorum designationibus illud curandum est, ne vel mihiorem vel maiorem quam credi possit scientiam illis qui interpretandi sunt scriptoribus tribuamus. Nam quae ita sunt comparata, ut ridiculi fuissent aequalibus suis, si nescivissent quae omnes sciebant, ea stultum est iis imputare. Contra vero, in quam partem multo saepius peccatur, cautissime ea quae relata legimus ad veros locorum situs, aut ad eos, quos illorum scriptorum aevo probaverint geographi, exigenda sunt et iudicanda. Nam vix qui ipsi aliquam regionem adierunt eandem omnes eius imaginem animis impressam habent, nedum illi qui ex aliorum